

ueretur tempore, confessionem autem pietatis neque daemones, neque ulla creatura uincere potest. Testantur martyres, quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur. O noua rerum materies. Paries effoditur, & thesaurus non auferitur: caro scinditur, & fides non rumpitur, talis quippe martyrum uirtus. Etenim super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: attendite diligentius uerba. Portas inferi pericula uocat, quæ mortem pariunt. Quid ergo? In infernum intrabit quisque, quando periclitabitur. Etiam. Sicut enim portæ introitus ciuitatum sunt, sic pericula introitus mortis sunt. Et cur, inquit, non prohibet temptationes? Ut ostendat uirtutem eius. Si nemo eam impugnare posset, dicere poterant, quoniam si impugnaretur, utique uinceretur. Propterea permitto eam impugnari, ut non imbecillitas impugnatum, sed fides uictoriae imputetur. Et portæ inferi. Non dixit, non appropiant ei, sed non præualebunt aduersus eam. Quid ergo? Impugnabitur quidem, non tamen uinci poterit. Tempestates suscipit ecclesia, sed non dimergitur: iacula in eam mittuntur, sed non perforatur: machinamenta præparantur, sed turris non eliditur. Et quid dico ecclesiam? unum sermonem locutus est pastor, & sicut turris immobilis persevererat. Quanti tyranni uerbum hoc delere conati sunt: sed non potuerunt. Supra petram enim fundatum erat. Consydera tyrannos, reges, gladios acutos, bestiarū dentes, mortem minantes, caminos, sartagines, manus ferreas & uncos & omnia machinamenta parata, & pharetram quidem suam euacuauit diabolus, sed nihil læsit ecclesiam. Portæ inferi non præualebunt aduersum eam. Testatur res ipsa, testatur horum quæ fiunt, ad stipulatio. Quanti impugnauerunt, & nemo præualuit. Et impugnatores quidem taciturnitati, & obliuioni dati sunt: ecclesia autem quotidie uirtutibus augmentatur. Vbi nunc Claudius, ubi Augustus, ubi Nero, ubi Tyberius? Nomina sunt nuda: horum autem nemo, nec ulla horum mentio. Et quia ecclesiam impugnauerunt, ideo & memoriā perdiderunt, ecclesia autem clarior resplendet. Vbicunque ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britanos, ad Hispanos, usque ad ultimum finem terrarum, inuenies: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Et uniuersa religione plena: ante hoc enim uniuersa repleta erat impietate, nunc autem non solū ciuitates religione florent, & fide Christi, sed etiam eremus in nomine Christi gloriantur. Antea namque & reginæ in conuiuijs uirorum saltabant, sicut filiam Herodiadis fecisse legimus: nunc uero uix famula dignatur hoc facere. Antiquitus gentis Persarum filij parentibus sociabantur connubio, & soror fratri iungebatur impune: nunc uero uirginitatem appetunt. Ante hoc autem quoties in Britannia humanis uestebantur carnibus, nunc ieunij reficiunt animam suam. Massagetae & Berbuces miseris putant, qui ægrotatione moriuntur: & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam uenerint, iugulatos deuorant: rectius esse dicentes, ut à se potius quam a uermibus consumantur: nunc uero post passionem Christi & resurrectionem eius, abstinentia & castitate deuote militant Christo, & propè omnes gentes paratae sunt pro nomine domini fundere sanguinem suum. Ante hoc impie & perfidoctores erant reges: nunc uero ad coelum præferunt pietatem, & ingredientes limen ecclesias, deponunt coronam, & crucem Christi depingunt in suis frontibus. Foris arma, hic mysteria: foris scuta, hic sacramentorum celebratio. Theodosius pater filius Theodosij, religione ac pietate insignes. Ideoque pro his omnibus gratias agamus domino per Christum dominum nostrum, cui est gloria & potestas cum spiritu sancto, per immortalia secula seculorum. Amen.

DE NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ,
SERMO XXVII



E solstitijs & æquinoctijs cōceptionis & nativitatis domini nostri Iesu Christi & Ioannis baptistæ, nescio an quisquam ausus sit arcanum fratres ante Christi nativitatem intelligere, uel terminare cursum horarum, dierum ac noctium, per quos solsticia & æquinoctia cognoscere posset, cū Iob glorioſo in suis passionibus dictum sit: Et hoc mihi dic, inquit, an ſcias cursum ſolis & lunæ, que utique duo lumenaria ad constitutionem dici ac noctis instituta eſſe uidemus, Quod ſi ergo tantus uir in ſuo martyrio

a martyrio perseuerans, quodāmodo in his redargutus est, quis ille mortaliū fuisset, qui aduersum gloriam tam eminentis viri hæc impudens auderet cognoscere, nisi primum ipse dominus lucis ac noctis cōditor & discretor, qui à philosophia sol iustitiae cognominatus est, mundū illustraret: qui pro carnalibus carnalis factus est, & mortalis pro mortalibus. Quasi mortal is uisus est, ut posset per suam immortalitatem mortem deuincere. Propter quod clamāt supernæ potestates: Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est mors contentio tua? Hæc dicentes *1. Cor. 15* contestantur Christum mortem deuicisse, ut & nos qui mortui iamdudū tenebamur, exemplo ipsius dignationis immortalitatem caperemus, si tamē omissa tenebrarum opera uiam lucis sequamur. Ipse enim est lux nostra, & uera lux, qui ueniens in hunc mundum illumina uit corda nostra. Cuius aduentum siue passionem non tantum Moses uel prophetæ annunciarunt, quantum uero conceptionis & natuitatis tempus ostenderūt, propter quod ipse dominus Iudeis dicebat: Scrutamini scripturas, in quibus putatis uos uitam æternam possidere, ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Quibus rursum dicebat: Hypocritæ, faciem *10an. 5* cœli & terræ nostis probare, quare tempus hoc non probastis? Erat ergo & temporis probatio, si eum uellent cognoscere, qui non tantum (ut diximus) aduentum ostenderet, quantum conceptionis & natuitatis tempus declararet, si fidem certam in Mose & prophetis habuissent: quod nec tantummodo ipsius domini & saluatoris cōceptio uel natuitas carnalis ostenderetur, quantum & Ioannis Baptiste præcursoris eius, de quo scriptum est: Ecce ego mitto *Malach. 3* angelum meū ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Qui ueniens docebat: Parate uiam domini, rectas facite semitas dei nostri. Qui & iterum annūciabat, dicens: Qui post me uenit, maior me est, cuius non sum dignus soluere corigiam calceamentorum eius. Hic est Ioannes, qui uenit ut testimonium diceret ueritati, sicut & Christus dominus dicit: Vos misistis ad Ioannem, & testimonium dixit ueritati. Cuius natuitatem magnificans deus ipse ait: Nemo est in natis mulierum maior Ionne Baptista. Cum uideamus Abraham, Isaac & Iacob, deinde patriarchas non minimos ab eius dignatione fuisse. Quod si dignatio præfecit, non tamen conceptio uel natuitatis annūciatio, quæ cum temporibus Christi prædicata est à Mose & Zacharia propheta, cuius crux sanguinis templi marmore infecto semipiternus uiuit. Quem sibi dominus in testimonium uocat per Esaiam prophetam, dicens: Fac mihi testes fideles homines, *Vriam*, & *Zachariam* filium Barachiæ. Et accessit, inquit, ad prophetam, & concepit, & peperit filium. Hic est igitur Zacharias filius Barachiæ, qui occisus est à Iudeis inter ædem & sacrariū. Inter cætera prophetæ suæ indicia ieuniū quartum, & septimum, & decimum erit domui Iuda in lætitiam & gaudium, & solennitates boinas, & dies festos multos. Et iocundi eritis, iocunditatem & pacem amabitis: quæ tria ieuniū nunquam à Iudeis seruata fuisse inuenimus. Non enim aliquando quarta feria ieunauerūt, aut septima quod dicitur sabbatum, aut decima feria, quæ nec potest dici: quamuis eti in sabbato ieunauerunt, non legi parendo, sed opportunæ necessitatib. Quærenda igitur erant fratres charissimi, quæ essent ista quarta & septima & decima, quorum initium propheta nō nominauit, à quo quartum uel septimum uel decimum numeraremus. Et bene quidem propheta pro altitudine spiritus sancti initium ieuniiorum non posuit, ut cū de initio ipsorum ieuniiorum quæreremus, simul & uirtutem ipsorum inueniremus, & Mosi mandata recenseremus. Satis etenim dominus ad Mosen de mense Martio testabatur, dicens: Hic uobis mensis initium mensium, primus erit uobis in mensibus anni. Quod si ergo ipse est initium anni, iam utiq ab ipso quartum mensem Iunium numeraremus, & septimum Septembrem, & decimum Decembrem, de quibus dominus ad Mosen dicit: Tribus temporibus diem festum agetis mihi. Quibus & quartum adiunxit, dicendo: Et diem festum azymorum custodietis. Septem diebus manducabitis azyma, sicut præcepisti tibi in tempore mensis nouorū. Hi sunt menses, in quibus dominus noster, & Ioannes Baptista cōcepti, & nati sunt: istis quatuor temporibus, id est uerno, & æstate, & autumno, & hyeme, per quæ annus uertens cognoscitur. Et ideo propheta dicit: Annum acceptabilem domini. Nam rursus dominus ostendens per

F Mosen

Mosen quartum & septimum & decimum ieunium , menses eos esse dicit in eadem Exodi scriptura: Initium mensis frumentariæ,& uindemiæ,& oleæ erunt domui Iuda in lætitiam & gaudium,& dies festos multos:quod utiqz initium mensis,sicut diximus , est mense Martio, unde annus uertens incipit:Mensis quarti,id est Iunius,qui est initium mensis frumentariæ. De quo & dominus discipulis suis dixit:Nónne quadrimensiū est,& dicitis,quia iam messis adest:Nam uindemiæ mēsis est september,qui septimus est à Martio.Decimus uero mensis est december,quo mense oleæ maturæ premūtur.Sed quomodo probamus istis quatuor temporibus Christum , & Ioannem conceptos & natos fuisse ? Sicut & dominus ipse dicit: Omnis scriba eruditus similis est patrifamilias , qui profert de thesauro suo noua & uetera. Ergo quæ typice à prophetis dicta sunt , & à Moze declarata , manifesta sunt in Euangeliō. Nam temporibus cum Zacharias pater Ioannis sacerdotium Iudæorum administraret se, cundum legis mandatum,& prophetiæ Ionæ,quam Niniuitis annunciauit, post triduo sub uersionem futuram ciuitati eorum, qui penitentia acti , domini misericordiam meruerunt. In cuius nunc memoriam Iudæi quotquot annis ieuniū in mense septembri obseruant, quem metellitum,sive scenopegiam nuncupant. Propter quod sacerdotes in tempore illo pro peccatis populi , diebus illis secundum præceptum legis in mense septembre sacrificia deo offerabant. Quod cum altari Zacharias obtulisset , non statim sacerdotem se profitebatur , aut idoneum esse qui pro peccatis tam scelesti populi precibus dignus futurus esset : sed memoratus est Christum ipsum solum futurum uerum sacerdotem,cui pater dixerat: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec , qui hostiam placabilem pro peccatis omnium solus deo offert.Et eius aduentum scilicet Zacharias precatus est. Quoniam nec temere hoc dicimus,quod ex responsis Gabrielis angelii inuenimus eum & deprecatum fuisse. Ait enim ei Gabriel angelus:Zacharia,exauditæ sunt preces tuæ . Cuius utiqz preces exaudiuntur,utiqz exauditur quod precatur aut desiderat. Tribuet enim petētibus se, quod quis desiderat , aut postulat ab eo dicente Christo saluatore nostro : Quis est enim ex uobis,inquit , quem si petierit filius suus panem , nunquid lapidem porrigit ei ? Aut si pīscem petit, nunquid serpentem porrigit ei ? Et addidit, dicens : Vos cum sitis nequam , scitis bona data dare filijs uestris:quāto magis,inquit, dabit bona potentibus se pater uester qui in cœlis est: Dabit eis qui eum petunt,facientibus tamen uoluntatem eius , sicut Ioannes Christi amansissimus in epistola sua complexus est . Scimus , inquit, quia habemus impetrations quas cunqz ab eo postulauerimus , cum præcepta eius seruauerimus , & ea quæ illi placita sunt in conspectu eius fecerimus . Tunc ergo Zacharias cum hæc precaretur , respondit ei angelus Gabriel:Zacharia,exauditæ sunt preces tuæ,ecce Elizabeth uxor tua pariet tibi filiū , & uocabis nomen eius Ioannem,& erit tibi gaudium & hilaritas , & multi in nativitate eius gaudebunt,& erit magnus coram domino , & uinum & siceram non bibet , & spiritu sancto resplebitur mox,ut exierit de utero matris suæ,& multos ex filijs Israël conuertet ad dominum deum ipsorum,& ipse præcedet ante faciem eius. Gesta autem sunt hæc ante primum annum imperij Tyberij Cæsaris,mense septembri,octauo Calendas octobris,incipiente luna unde cima,quando oportebat Iudæos ieuniū scenopegiæ celebrare. Tunc uero post , nono anno Tyberius Cæsar tempus,cursumqz lunæ collegit,& inuentum est ipsa die octauo Calendarum octobrium esse æquinoctium , in quo est inchoatio noctis maior quam lucis . Illum enim oportet crescere,inquit,me autem minui.Minorata autem fuerat lux à tenebris , cū Iudei secundum legem & prophetiam sacrificia deo offerebant , in quo & Ioannes conceptus est,in qua etiam incusabantur à domino, dicente Elsaia propheta : Quo mihi multitudinem sacrificiorum uestrorum?dicit dominus:Plenus sum holocaustomatis arietum , & pinguedinem taurorum & hircorum nolo. Hæc sunt enim quæ ante propter peccata populi offerebantur,quæ iam cessare oportebat,cum Ioannes idem Baptista cōciperetur. Et ideo Zacharias pater eius sacerdos Iudæorum obmutuit,quia iam cessare & obmutescere oportebat sacrificia eorum,quæ pro peccatis populi offerebantur. Veniebat enim solus sacerdos,qui agno lo

A lo'immaculato sacrificium deo pro peccatis omnium offerret. Et ideo demonstrauit eum Ioannes Iudeis: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nam plenissime constat, ideo obmutuisse Zachariam sacerdotem Iudeorum, quia sacrificia secundum legem & prophetiam offerebat. Significabat enim quod sacrificia iam adueniente Christo, lex & prophetae adimpleri tacerent: & ideo lex & prophetae usque ad Ioannem sunt, quae ad conceptionem eius cursum tenuerunt. Celante ergo se Elizabeth per menses quinque conceptionis, stupens quidnam ei dominus uoluisset in suprema ætate, ut pareret sterilis: tunc deinde post alterum mensem, id est sexto à conceptione Elizabeth, missus est rursus Gabriel angelus in Galileam ad virginem, quæ desponsata erat uiro, cui nomen erat Joseph, id est uiro iusto. Iam enim destinata erat ecclesia suo sposo uiro iusto, de quo Ioannes dixit: Qui habet sponsam, sponsus ^{Ioan. 3} est. Quod & David similiter dicit: Et ipse uelut spousus egrediens de thalamo suo. Post sextum ^{Psal. 18} autem mensem conceptionis Ioannis, qui est octauo Calendas octobris, sextus mensis Martius principium anni, quia princeps & primarius omnium ipso mense conceptus & passus est. De quo & Paulus testatur: Qui est, inquit, initium omnis creaturæ, quia in ipso condita ^{Col. 1} sunt omnia in coelis & in terra. Quem mensem Iudeis Moses solennem & paschæ futurum solicite & crebro commendabat, dicens: Hic mensis initium mensium primus erit uobis in mensibus anni. Initium enim filiorum dei de interrogatione hominum hoc mense incipiebat: ex die igitur conceptionis Ioannis, octauo Calendas octobris usque octauo Calendas aprilis, quando angelus Gabriel ingressus est ad Mariam, & salutauit eam, dicens: Pax tecum, quæ inuenisti gratiam apud dominum. Quæ audito hoc uerbo conturbata est, & cogitatbat intra semetipsam, quæ esset hæc salutatio. Cui dixit angelus: Ne timeas Maria, quia inuenisti gratiam apud dominum: Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomē eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur. Et dabit illi dominus deus sedē David patris eius, & regnabit in domo Jacob in secula, & regni eius non erit terminus. Cui respōdit Maria: Et quomodo hæc cognoscam, cum uirum non nouerim? Et dixit illi angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: propter quod is qui nascetur sanctus, uocabitur filius dei. Tunc Maria fida sermonis dixit: Ecce ancilla domini, continet mihi secundum sermonem tuum. Fuit igitur, ut diximus, quando hæc angelus ad Mariam annunciauit octauo Calendas aprilis, qui & ipse est dies æquinoctialis ad inchoationem lucis: iam enim deterfa caligine à mundo, lux in mundū adueniebat, sicut Ioannes in epistola sua dicit: Quia tenebrae transierunt, & lumen uerum iam lucet. De quo lumine iterum in Euangeliō dicit: Fuit lumen uerum, quod illuminat omnē hominem uenientē in hunc mundum: Conceptus est ergo dominus noster octauo Calendas Aprilis, mense Martio, qui est dies paschæ, passionis domini & conceptionis eius. In qua enim die conceptus est, in eadem & passus est. Et ideo dominus in Exodo ad Mosen præceptū sacramenti tradens dicit: Non occidas super azyma sanguinem immolatorum meorum. Et immolationis die solennis paschæ initia creaturæ tuæ inferes in domum dei tui. Non occides, inquit, agnum in lacte matris suæ. Hæc significatio sunt agni immaculati, qui sacrificium deo offerri habebat, quod in primo pascha conceptionis suæ in utero matris non eum oportuisset occidi. Et ideo Joseph sciens prægnantem esse Mariam, ne tanquam stuprata aut adulterata lapidibus interficeretur, clam eam dimittere uoluit: ut uero non occideretur agnus immaculatus in lacte matris suæ: sed inter hæc ascendit, inquit, Maria ad Elizabet uisitare eam post mensem sextum conceptionis eius. Tunc & Ioannes inspiratus est, & fecit ibi Maria cum Elizabet menses alios tres. Et sic expletis nouem mensibus, in mense decimo peperit Ioannē octauo Calendas Iulias, qui est nonus mensis à Septembre, & quartus à Martio inchoationis anni. De quo propheta Zacharias dixerat, ieunium quartū esse domui Iuda in lætitiam & gaudiū. Denique & gauisi sunt, qui interfuerāt partui huic. Sed quare propheta de ieunio quarto dixit, & non mense: Quia ieuniū erat à malis rebus id quod nasci habebat. Nam Moses manifeste declarauit menses. Sed cum dicat initium mensis frumentariæ, tunc ergo repertum est esse pri-

F 2 mum

mum solstitium mundi, quando Ioannes natus est, quem diem lampadem appellant. Lampa-
 da enim erat luminis Christi, à quo lumen acceperat, cù esset adhuc in utero matris. Quā-
 do salutat Elizabet Mariam, exultauit in utero matris infans: ex ipso igitur dies minoratur,
 & nox crescit. Ioannes enim in die pœnitentiae conceptus est. Cumq; ab Adam secundū le-
 gal, gem carnalem agerentur: quæ enim carnaliter geruntur, non talibus: Quia caro concupisicit
 aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Et ideo lux minorabitur in illis. Nam Chri-
 stus uero, qui in nativitate Ioannis iam trium mensium incorruptæ uuluaæ fuerat conceptus,
 superabat ei, ut & ipse secundum humanam nativitatem suppleret menses nouem, alijs men-
 ses sex, qui nunc ex octauo Calendas Iulias, in octauo Calendas Ianuarias sunt menses sex.
 Quibus suppletis nouem mensibus, initiante decimo Christus mundo natus est, quando
 prima censio capitalis humani generis facta est proconsulatum in Syria agente Cyrino, id
 est domino: ueniebat enim dominus orbis terrarū, qui de capite nostro censeret. Et ideo san-
 cti uiri reges & patres, Saba uenerūt ipsi magi, inuitante stella fulgoris, memores scripturæ,
 Malch. 4 quæ dicit: Orietur stella de Iacob, & surgent principes de Israël. Venientes in terram Israël,
 id est in Iudæam deducti ab stella lucis, in ciuitatem Hierusalem requirentes regem suum.
 Quem inuentum in hospitio itineris, id est in stabulo, præsepio collocatum, & pannis obuo-
 lutum, quæ fuerunt peccata carnis nostræ, cui pro tributo capit is in sacramenti mysterio
 obtulerunt, aurum, thus, & myrrham. Aurum etenim significat corpus immaculatum, quod
 igne probatum nihil deperit. Hi sunt de quibus in Apocalypsi dictum est: Qui uestem suā
 non inquinauerunt, id est qui carnem suam inuiolatam custodierunt. Et ideo cum agno am-
 bulant. Nam thus significat orationes sanctorum. Nam myrrha corporis est conditura, que
 sunt operum bonorum gesta, quæ in postremo corpus & animam hominis custodiunt. Di-
 citur enim in Apocalypsi: Nam opera eorum comitabuntur eos. Sed nunc fratres dilectissi-
 mi, inter hæc intuenda sunt temporum qualitates, & gesta morum: & primum à perfidia Lu-
 dæorum, qui semper in deum, & in Mosen contumaces extiterunt, qui cum à deo secundum
 Mosen initium anni mensem Martium accepertunt: illi dictum prauitatis, siue superbiæ exer-
 centes, mensem Septembrem ipsum nouum annum nuncupant, quo & mense magistratus
 sibi designant, quos Archontas uocat. In illa solennitate scenopegiae siue intellitidem, in quo
 Ioannes conceptus est, quando & lucernas quidem multas accendunt. Quod & ipsum Abra-
 hæ significant eius conceptionis fuisse diem. De quo dominus dixit: Ille erat lucerna ardens,
 & lucens, & uos uoluistis ad præsens in lumine eius exhilarari. Sic & uox puerorū frequens
 auditur dicentium esse lucrum & gaudium. Quod quidem maximum luctum est, & uitæ in-
 uentio, de qua consulentes ipsum Ioannē milites, & publicani quærebant, quid agentes pos-
 sent uitam consequi. Quibus ille insinuans uiam ueritatis, militibus quidem dicebat: Nem-
 nem concusseritis, neq; calumniaueritis, sed contenti estote stipendijs uestris. Similiter & pu-
 blicanos hortabatur, ne quicquam amplius exigerent, quæ quod eis præceptum erat exige-
 re. Erat autem & gaudium his ipse Ioannes, qui nasci habebat, qui nobis Christum insinua-
 turus esset, de quo angelus Zachariae patri eius dixerat: Erit tibi gaudiū, & hilaritas, & multi
 in nativitate eius gaudebunt. Sed & tempus est autumni quando Ioannes concipitur. Quo
 tempore ager fulcis iam proscinditur, & semini uenturo iam preparatur. In quo mense uete-
 res coloni nouis cultoribus cedunt, cessantibus scilicet pristinis tabulis conscriptionis, quæ ue-
 teris legis fractæ tabulae, noua lex nouis cultoribus traditur. De qua per Hieremiam domi-
 nus dicit: Dabo eis illam legem spiritalem, qualem non dedi patribus eorum, cum eos dedu-
 cerem de terra Ægypti. Illi enim quibus ante uineæ cultura tradita fuerat, qui pensiones de-
 bitas suis temporibus non exoluerunt, qui insuper missos ad se seruos uarie uexauerūt, quos
 dam cædentes, quosdam uero lapidantes: insuper missum à patre filium, & ipsum agnatum
 esse hæredem patris, existimantes se hæreditatem patrisfamilias eruere, apprehensum filiu-
 eius iniurijs turpissimis actum occiderunt. Quare habuit paterfamilias necesse malos male
 perdere, & in locum eorum alios cultores substituere, qui pensiones debitas suis temporibus
 perfoluant.

persoluant. Ex Sion, inquit, exiit lex, & uerbum dei ab Hierusalem: & ipse convertet popu-
 lum multum, & concident gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces, ut omnis iam bel-
 licæ uitæ usus necessario conuerteretur. Sed & sine dubio manifestatur sacramenti mysteri-
 um, quod dicit propheta: Concidant gladios suos in aratra. Cum gladij materies ferri sit, &
 aratum lignum: quomodo potest ferrum in lignum conuerti? Quare non potius dixit: Et
 concident gladios in uomeres? Sed quia per lignum uita nobis data est, ideo iam cessante
 pristino bello, nobis ligni mentio fit per aratum, per quod spina, & tribuli auuli de cordi-
 bus nostris. Terra est ipse homo, semen sermonum dei percipiet, ut quidam fructum trigesi-
 mum, alijs sexagesimum, alijs centesimum. Nunc post hoc æquinoctium, quod est autumni
 temporis, respiciet nos & mensis Martius uerni temporis, in quo est & lucidius æquinocti-
 um iocundius omnibus, qui pigris & somniculosis somnum oculis desistit, dicente scriptu-
 ra: Quousq; piger dormis? quandiu manibus pectus amplecteris? Surge, & attingis Chri-
 stum dominū. In quo iam nautica uox secura maria fretat, patefacto rubro mari, quod clau-
 serat Pharaon, cum magno mugitu doloris submersus cū suo exercitu. Ex quo liberatus Mo-
 ses cum suis suauiter hostibus cæsis celeumabat, & pro uoto populum monebat, dicens: In
 mente habetote hunc diem, quo liberati estis de domo seruitutis, qui necdum liberati sunt,
 quia denuo eos inuaserant opera peccati, ac seruitus Aegypti. Et ideo dominus dicebat eis:
 Et cum uos filius liberauerit, tunc uere liberi eritis. Iam sp̄e rustice gaudes, iam arborū ope-
 ra, amissa folia, quæ demperat Adam ad tegumentum pudoris reparas alia. Quia prodict, *Ez. xi*
 inquit, uirga de radice Iesse, & flos ex illa uirga apparebit. Iam consummatio est operum ri-
 ticularum, ipsa omnis lex seruitutis carnis cessat. Quid dicit dominus in Exodo? Ex die so-
 lenni mensis primitiorum consummabis omnia opera tua, quæcumque scueris in agro tuo.
 Posita enim seruitiorum lege carnis operata est usque ad Christum, sed mysteria diaboli te-
 tris, & horribilibus indumentis poenam suam luentes, ostentantes uincti catenis. Ex ipsis
 fuit unus ille qui in monumentis dormiebat, quia iam nascebatur qui eos uinceret. Et iocun-
 dus aër per cuius æstum improba caro lassatur, sed & glacie frigida cutis horreficit. Nam &
 quorum uox auditur dicentium: Exite pueri in campum mense Martio. Hæc uox vulgaris
 esse existimatur, sed potius rationabilis est. Credimus enim in eodem tempore prouocatum
 esse Abel à Cain exire in campum, in quo occisus est. Et ideo mense Martio octo dies pa-
 stores contingent. Sed scriptum est, exiuit sermo, & stetit in campo. Tunc enim exiit sermo
 in campo, id est in hoc seculo, quando susceptum Maria per fidem concepit dominum no-
 strum Christum. Sed & alios audiui dicentes: Martius in campo, & aliquando post focum
 Martius. Evidem in campo factus est, quando Gabriel angelus in hoc mundo Mariæ ser-
 monem intulit, Christum inde seculo nasciturum. Rursus & Martius fuit post focum, quan-
 do dominus ipse mense Martio ad iudicium ductus est: Et Petrus stans post focum calefa-
 ciebatur. Qua enim die conceptus est dominus, eadem die & passus est. Eadem ipsa dies coe-
 na pura fuit, in qua & luna quartadecima occurrit. Conceptus est enim mense Martio octa-
 uo Calendarum Aprilium die, luna quintadecima fuit, momentissime propter horam pa-
 sionis suæ sustinebat. Vnde die festo scenopegiæ dixerat: Vos ascendite ad diem festum *Ioan. 7*
 hunc, ego autem non ascendam, quia meum tempus nondum aduenit. Nouerat autem
 mensis solennitatem, in quo Ioannes conceptus est. Nam suum tempus conceptionis, &
 passionis sustinebat, quem recognoscens dixit: Venit hora, ut clarificetur filius hominis.
 Sed nunc dilectissimi post duo æquinoctia, quæ sunt duæ conceptiones, intendenda sunt &
 duo solstitia, in quibus duæ nativitates continentur: unam quidem diximus Ioannis esse
 mense Iunio, id est octauo Calendas Iulias, quam lampadem appellant, quo tempore mes-
 sis tritici cæditur. Ostenditur quod & Ioannes, qui eo tempore natus est, & ipse uelut mes-
 sis decollatus est. Qui dicebat de domino: Cuius in manibus suis uentilabrum permunda-
 bit aream suam, frumentum recondet in horreis: paleas autem comburet igni inextinguibili.
 Circuncisus est igitur Ioannes Calendas Iulias, id est octaua die, quando migratio fit: ut

F, ostendit

ostenderetur quia is, qui secundum legem & prophetiam conceptus erat, de quo dictum est: Lex & prophetæ à Iudæis migrabunt. Sed & dominus nascitur in mense Decembri, hys mis tempore octauo Calendas Ianuarias, quando oliuæ maturæ premuntur, ut uncio, id est chrisma nascatur, quo seges ab herbis extraneis seritur. Cum agni balantes nascuntur, uineæ falcibus sarmenta amputantur, ut mustum suauitudinis afferant, ex quo inebrinati sunt apostoli sancto spiritu. Quia ego sum, inquit, uitis, & pater meus agricola. Omne igitur sarmentum in me nō afferens fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Sed & iniucti natalem appellant. Quis utique tam iniuctus, nisi dominus noster: qui mortem subactam deuicit: uel quod dicant solis esse natalem, ipse est sol iustitiae, de quo Malachias propheta dixit: Orientur uobis timentibus nomen ipsius sol iustitiae, & sanitas est in pennis eius. Qui & ipse circuncisus est, secundum testamentum dei, quod disposuerat ad Abraham octaua die, id est Calendas Ianuarias, in quo & ipsa migratio fit. Migrauerat enim gratia & ueritas à Iudæis: Quia lex per Mosen data est, nam gratia & ueritas per Iesum Christum facta est: in Christo Iesu domino, qui uiuit & regnat cum patre & spiritu sancto per immortalia secula seculorum. Amen.

IN DECOLLATIONE SANCTI IOANNIS BAPTISTÆ,
ubi tractatur de muliere mala, Sermo XXVIII.



EV me quid agam: unde sermonis exordium faciam: quid dicam: uel quid tacem: Non enim ego tantum in stupore mentis factus sum, sed omnes qui au- dierunt Euangelij uocem, & mirantur tecum uel Ioannis constantiam, uel Herodis leuitatem, uel impiarum mulierum feruidam dementiam. Quid enim audiimus: Herodes, inquit, apprehensum Ioannem posuit in custodia. Quamobrem: propter Herodiadē uxorem Philippi fratris sui. Et reprehendā forsitan leuitatem Herodis à miserrimis mulieribus inductam: quid enim quis dicat, & quomodo quis enaret mulierum illarum crudelē malitiam: Et quidem ego existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri mala. Sed nunc mihi de muliere mala sermo est, non de bona & ho- nesta: noui enim multas bonas & honestas in omne opus bonum promptas, quarum me uitam commemorare oportet ad ædificationem audientium, & ad honorem bonarum exci- tandum in mentibus singulorum: nulla ergo in hoc mundo bestia similis est mulieri mala. Quid inter quadrupedia animalia leone sæuius: sed nihil ad hanc. Aut in serpentibus quid dracone atrocius: sed ne hoc quidem iuxta mulierem malam, & linguosam conferri potest. Nam & leo & draco in malo inferiores sunt: testificatur huic sermoni meo sapientissimus Sa- Dmon, dicens: Cohabitare leoni & draconi melius est, quam cum muliere mala & linguosa. Et ne putas prophetam in ironia hoc dixisse, ex ipsis rebus disce manifestius. Danielem leonem in lacu reueriti sunt, iustum uero illum Nabutem Iezabel interfecit. Cetus Ionam in uentre custodiuit, Dalida autem Sampson circumuentū illecebris, raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Dracones & aspides & cornutæ Ioannem Baptistam in deserto uiuentem subdita feritate tremuerunt, Herodias uero eidem caput abscidit, & tanti uiri mortem in precium saltationis accepit. Heliā corui in monte pauperunt, & Iezabel eum post illā reddidit per ipsum terris pluviæ gratiam persequebatur, ut pœnā mortis ei redderet, cuius orationibus depulsa generis humani fame, & ipsa licet indigna uiuebat. Quid enim dixit post illud ammirabile beneficium: Si tu es Helias, & ego sum Iezabel, haec mihi faciant dñj, & haec apponant, nisi crastina hac hora ponam animam tuam, sicut unius eorum qui imperfecti sunt. Et timuit Helias, & abiit secundum animam suam: & perrexit in desertum uiam quadraginta dierum, & coepit quasi tædians in defectione animi postulare, ut moreretur, & dixit: Domine deus sufficiat, iam accipe animam meam, quia nō sum ego melior super patres meos. Væ mihi, quid ad hoc dicat ille tantus propheta: Timuit mulierem, qui totius mundi statum, & cœli pluviā, agri speciem in lingua potestate portauerat: qui ignem è cœlo eduxerat, & per uirtutem orationis mortuos suscitauerat, hic timuit mulierē, timuit inquam. Nulla enim malitia